



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

VII. De eadem synodo octava Hadriani.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10634**

DE EADEM SYNODO  
octava Hadriani.

*Dialogus septimus.*

**B.** N O L U I te heri interpellare. Sed hodie peto abs te, cur putes Petrum Presbyterum ante duos Episcopos Legatos Joannis nominari; quorum alter Ostiensis est, cui datum est ut Pallio utatur cum Pontificem Maximum consecrat. Nunc eum Decanum Cardinalium appellant, & princeps totius ordinis est. **A.** Quærendum etiam erit cur postremus Ostiensis appelletur. Fortasse tunc Episcopi non dicebantur Cardinales, sed soli Presbyteri & Diaconi. Et si quis eorum Episcopus eligeretur, non amplius ex collegio Cardinalium erat; sed Episcopus, Anconitanus putà, vel Bononiensis, vel alterius civitatis dicebatur. Et inter Episcopos ordo temporis servabatur. Quod dixi de Cardinalibus Episcopis electis, Innocentij tertij exemplo comprobatur, qui noluit Ravennatem Archiepiscopum fieri eum qui Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis erat, ne ab Ecclesia Romana discederet. Sed videamus quid in Græca synodo sit. In ea enim & Joannis litteræ sunt & sæpius nomina horum Legatorum. **C.** De numero quoque Episcoporum velim scire, an Græca cum Latinis conveniant. **B.** In prima actione ante adven-

*c. 3. de postul.  
pral. in 3. col-  
lect. & apud  
Gregor. IX.  
incip. Ponæ  
mem.*

tum Legatorum erant cum Photio & Legato Hierosolymorum Patriarchæ c c c l x x v i. Episcopi, nisi à me erratum est. Possumus igitur fidem adhibere Latinis Ivoni & Gratiano, qui omnes c c c l x x x i i i. numerant. In eadem actione Petrus Presbyter Cardinalis priùs quàm Paulus & Eugenius nominatur. Is quoque priùs ad Photium alloquitur nomine Joannis Pontificis. A. Heri dicebamus hunc missum fuisse à Joanne ad Photium, illos duos ad Ignatium. Idem ostendunt Joannis litteræ, in quibus Eugenius ante Paulum nominatur. Sed in commonitorio dicitur: *Commonitorium fratribus Paulo & Eugenio Episcopis & Petro Presbytero Cardinali missis Constantinopolim.* Ita autem cetera scripta sunt ut videantur omnes simul mitti. In actione quoque quinta Paulus & Eugenius Episcopi ante Petrum Presbyterum appellantur. Et in subscriptione Concilij primus Paulus Episcopus Anconitanus, postea Eugenius Episcopus Ostiensis, postremus Petrus Presbyter Cardinalis subscripserunt. omnes ut Legati, sed non ut Cardinales. B. Quando hæc duo conveniunt, commonitorium Joannis, & subscriptio, malo his credere quàm Ivoni & Gratiano. A. Canones octavæ synodi sub Hadriano videamus. Et omissis aliis, de his quæ apud Gratianum sunt dicamus. Caput xv. quod in Græco libro desideratur, & à Gratiano a sextæ synodi universalis esse dicitur, in libro Cæsaraugustano b septimæ synodi c c x l.

a 12. q. 2. c. 15  
Apostolicos.  
b Cæs. lib. 7.  
c. 74.

T iiij

c. Anselm. lib. 6.  
c. 169.

patrum actione x. apud Anselmum c. rectè octavæ synodo universali adscribitur. C. De numero actionis & patrum convenitne cum Græcis? A. In actione convenit. Sed Stylianus, de quo heri diximus, centum & duos patres fuisse scribit. Nos de varietate verborum videamus. Mendosè est apud Gratianum *venerabilis synodus pro universalis synodus*, quod alij habent. Pro *cimilia & vasa sacrata*, quod etiam Anselmus habet, *cimilia*, id est, *vasa sacrata* Cæsaraugustanus. *civilia* pro *cimilia* est in quodam Anastasij libro, non rectè. Ego nihil muto, sed Græcis litteris scribo *κεμήλια*, aut Latinis *cimelia*. unde cimeliarchus est, ut Demochares notat, qui cimeliis vel thesauro Ecclesiæ aut Principis præest. Quod Gratianus ait *pro redemptione captivorum*, alij habent plenius, *que accipiuntur in redemptionem captivorum*. Quod dicitur, *sed non tradere salaria Ecclesiarum in emphyteotica pacta*, non facile intelligitur. nec pro non habent alij. *pauca* pro *pacta*. Cæsaraugustanus mendosè. *neophita ubi compacta*, Anastasij mendosus liber. *emphyteutica pacta*, Anselmus aptius. *Salaria* pro *salaria* scribendum puto. Sic enim scio appellari à Jurisconsultis quæ pro solo penduntur. Simile erratum esse quidam putant cap. VII. de usufructu. Sed id incertius. B. Mihi vox *salaria* magis placet. Sed postea eadem vox *salaria* bis est. A. Eadem ratione mutari poterit. Pro illis verbis, *& post pauca*, quæ habent etiam Anselmus & Cæsaraugustanus,

Vide lib. 1.  
dial. 9. ad. 8.

cap. 2. p. Si  
quis nemine.  
D. Ne quid in  
loco. & c. 15.  
D. Qui po-  
rior.

sunt alia in Anastasij libro non inutilia. *Om-*  
*nem verò ecclesiasticarum rerum potestatem ha-*  
*bentem, & has meliorare ac dilatare, prout*  
*oportuerit, ecclesiastica loca, qua per † red-*  
*ditus fiant, & insuper propriarum rerum dis-*  
*positionem distribuere ac committere seu con-*  
*ferre quibuscumque voluerit & judicaverit,*  
*juxta propriam potestatem ac dominatum. Quis-*  
*quis autem apparuerit post hanc &c. Vox ap-*  
*paruerit à Gratiano est omiffa, habent alij.*  
 Illud quoque ineptum est, *huic sancta sedi.*  
 Tollenda est vox *sedi*, quam solus Gratianus  
 habet, item vox *tentaverit*, quæ irrepsit pro  
 illa apparuerit, de qua diximus. Pro *divinarum*  
*rerum* scribi debet *divinarum legum*, ut omnes  
 habent præter Gratianum. Pro *cimiliorum &*  
*salariorum locorum* est apud Anselmum *cimi-*  
*liorum scilicet & salariorum locorum, salarium*  
 pro *salariorum* habet liber CæsarAugustanus.  
 cetera ut Anselmus, *sed pro scilicet* liber Ana-  
 stasij. Ego malo *cimeliorum & solariorum &*  
*locorum*. De omnibus enim suprâ dictum fue-  
 rat. B. Idem fiet si scripseris, *cimeliorum sci-*  
*licet, solariorum, & locorum*. C. Vox *locorum*  
 postea omiffa est. Ex quo fit ut hic significare  
 possit solaria locorum. A. Non magnopere  
 repugno. Pro illis, *Qui verò ceperit aut eme-*  
*rit*, alij habent. *Qui verò emerit aut perce-*  
*perit*, non malè. Pro *cimiliis vel salariis*  
 scribo *cimeliis vel solariis*. & pro *vel* est in  
 CæsarAugustano. In extremo capite deside-  
 rantur hæc verba, ab Anselmo etiam & Cæ-  
 sarAugustano omiffa: *Si verò de propriis re-*

† per que f.

298 LIBRI POSTERIORIS  
bus aut de aliis quibusdam conventionibus,  
habeat id secundum propriam potestatem &  
voluntatem omni vita sua & post finem vita  
sua dimittat & conferat hoc quibuscumque  
voluerit; non tamen seculare diversorium fiat.

(1) Nunc de capite XVIII. videamus, quod  
etiam in Græco libro desideratur. Id Ivo d &  
Gratianus e Gelasio Papæ adscribunt, Ansel-  
mus f rectè synodo octavæ universali. In  
verbis non magna varietas est. Pro etiam sive  
à divæ, & sive à pia habet Anselmus, & sive  
à divæ Anastasius & Ivo. Pro præsulum eorum  
ceteri habent præsulum earum. Pro ac iussu  
præsulis, quod habent Ivo & Gratianus, ac  
usu præsulis Anastasius & Anselmus. Quod  
Gratianus solus scribit, Quisquis ergo Cleri-  
corum vel seclarium, in aliis libris est, Quis-  
quis ergo seclarium. Post verbum restituere  
est in solo Concilio Anastasio interprete, &  
reservaverit. (2) Caput XXI. (quod Græ-  
cis est XIII. non rectè) Gratianus g post An-  
selmum h & Deus-dedit i octavæ synodo ad-  
scribunt. sed Anselmus omnia verba refert,  
Gratianus aliquot verba sumpta ex prior  
parte hujus capituli. Deus-dedit alia quædam  
ex posteriore cum hac inscriptione: In syno-  
do universali CCXL. patrum habita pro Iga-  
tio Patriarcha, quæ quibusdam octava diti-  
tur. C. Convenit in numero patrum cum  
Cæsaraugustano. k A. Certiora poteris ex  
ipsa synodo cognoscere. (3) Mihi enim ca-  
nere receptui necesse est propter quasdam  
occupaciones.

d Ivo in epist.  
71. vel 30. ad  
Decan. Bel-  
vacen.  
e 16. q. 3. c. 9.  
Placuit.  
f Inf. lib. 4.  
c. 30.

g Dist. 22. c.  
ult.  
h Anselm. lib.  
2. c. 72.  
i Deus. d. c. 3.  
divisione 4.

k Cæs. lib. 7.  
c. 74.

(1) C  
vivit  
in Noti  
cum an  
quantus  
secundi  
ibecarij  
apud A  
ptionem  
quantum  
voces p  
rerum.  
gine: v  
nia repe  
mentia  
chus C.  
netur si  
(2)  
eodem  
In marg  
secundo  
Anselm  
Abest a  
puto. I  
habetur  
18. & e  
sed ma  
gatis. S  
ergo Cl  
voces,  
Concilio  
contra  
lia priv  
(3)  
in eode  
Hadria  
In mar  
Dictun

## A D D I T I O N E S.

(1) CAPUT 13. *Apostolicos. 12. q. 2.* in eodem libro ita inscribitur: *Item ex octava synodo univ[er]sali c. 15.* In margine est: *Ansel. l. 6. c. 171.* Et in Notis: *Octava* ] Sic est emendatum ex *Anselmo*, cum antea legeretur *sexta*. Est autem canon decimus quintus synodi octavae habita tempore *Hadriani Papa secundi contra Photium ex versione Anastasij Bibliothecarij. Videlicet pro redemptione* ] In Concilio ipso & apud *Anselmum* legitur, quæ accipiuntur in redemptionem captivorum. *Decernimus* ] In ipso canone sequuntur hæc: *Omnem verò &c.* ut in dialogo, præter voces propriarum rerum; pro quibus sunt, proprium rerum. Ad illa, *cimelia & vasa sacrata*, est in margine: *κειμήλια* Græcè thesauri dicuntur, ope, pecunia reposita, (scribe, opes, pecunia reposita) instrumenta pretiosa, aurea vasa, clinodia. Inde cimeliarchus *C. de agri. & cens. l. lit. 11.* Vox *salaria* retinetur sine ulla varietate.

(2) Ante caput octavum *Placuit huic. 16. q. 3.* in eodem libro ita scriptum est: *Vnde Gelasius Pupa ait.* In margine hæc sunt: *In synodo octava sub Hadriano secundo capite decimo octavo.* Et: *Poly. lib. 3. tit. 12. Anselm. lib. 4. cap. 20.* Ad illa, & *presulum eorum; Abest ab orig.* Additur in margine vox *eorum*, ut puto. In Notis additur: *Quod hic tribuitur Gelasio, habetur in synodo octava habita ab Hadriano II. c. 18. & ex ea citatur apud Anselmum & Polycarpum. Sed manuscripti codices Gratiani concordant cum vulgatis. Sacularium* ] In vulgatis legebatur: *Quisquis ergo Clericorum vel sacularium. Sed absunt illa dua voces, clericorum vel, ab aliquot vetustis & ab ipso Concilio manuscripto. In Concilio impresso legitur: Qui contra fecerit, ut sacrilegus judiceretur, & donec talia privilegia &c.*

(3) Distinctione 22. capitis ultimi inscriptio est in eodem libro: *Vnde in VIII. synodo habita sub Hadriano Papa II. can. 21. Diffinimus neminem &c.* In margine est: *Deus-dedit p. 3. Ansel. l. 2. c. 72.* Dictum est lib. 1. dialo. 9. addit. 6.